

## Praefatio ad editionem sextam.

Quod Editio sexta huius libri per totum fere orbem terrarum noti ac pervulgati non modo emendata, sed multis etiam locis aucta et amplificata est, ei mirum non videbitur, qui proximo decennio et medicamentorum numerum multo magis quam superioribus crevisse et multitudinem Formularum magistralium officinaliumque et Compositionum medicamentorum in Pharmacopoeas receptorum magnopere auctam esse sciet.

Imprimis recentiores Pharmacopoeae Germaniae, Austriae, Britanniae, Civitatum Unitarum Americae Septentrionalis in novam hanc editionem receptae et praeterea plurimis praeceptis medicina parandi ipsisque medicamentis cum dosis simplex tum, ubi necessarium videbatur, dosis maxima et dosis pro die additae sunt, ut, qui formula medici remedia componeret, ea de re doceretur et in dispensando satis cautus esse posset. Ne ea quidem ommissa sunt, quae pharmacopolam medicamenta in laboratorio comparantem scire opus est.

Praecepta et Formulae ad usum technicum et oeconomicum pertinentes cum propter Chemiae technicae quae vocatur incrementa ipsae quoque mirum quantum auctae sint, in hac editione nova magna diligentia ad eas adhibita itaque etiam usus mercatorii, quantum fieri potuit, ratio habita est.

Quoniam medici hoc Manuale semper respexerunt neque indignum iudicaverunt, quo ipsi uterentur, plurimis praeceptis ad conficienda Praeparata chemica et pharmaceutica maximeque recentioribus temporibus recepta introductaque pertinentibus itemque multis Formulis officinalibus et Formulis magistralibus praeter dosim etiam ea, quae de usu et de vi effectoque admonenda videbantur, addidimus.

Ut Pharmacopolis et Chemicis opitularemur, Praeparatis chemicis Formulam et atomisticam et elementarem cum pondere adiciendam curavimus.

Ceterum, ut libro eam, qua adhuc multis in terris floruit, famam servaremus, linguam Latinam nunc quoque retinendam putavimus, neque tamen decessimus de genere illo dicendi conciso, simplici, a Ciceronis ubertate atque copia abhorrenti, ad Pharmaci-  
ciam uno omnium aptissimo, quod in superioribus editionibus omnibus ad rem accommodatum visum est.

Quae cum ita sint, sperare nobis licet fore ut nova editio cum eadem qua superiores accipiatur benevolentia.

Scrpsi Francofurti ad Viadrum, Idib. Julii, anno MDCCCXCI.

**Auctor.**